



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XX. De Sententiis Sanctorum Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

CAPUT XX.

De Sententiis Sanctorum
Patrum.

*Quam habeant auctoritatem Sententia
SS. Patrum. An vim legis ob-
tineant.*

I.

Quartum Sacrorum Canonum fon-
tem esse diximus Sententias SS. Pa-
trum. De illis ergo hic inquirendum oc-
currit, quam auctoritatem habeant, &
an vim legis obtineant. Summam sem-
per in Ecclesia DEI fuisse SS. Patrum au-
ctoritatem nemo inficiabitur, aut indu-
bium vocabit, nisi hæreticus, qui hoc
nomine tanquam ex nota characteristi-
ca ab Orthodoxo discernitur. Hetero-
doxi enim *dum nolunt esse Discipuli ve-
ritatis, fiunt Magistri erroris*, inquit
Fulbertus Carnotensis *in Epist. ad Adeodatū;*
Ideoque Aërius, ut notat Socrates *Hist.*
Ecol. l. 2. c. 28. Eunomius à S. Hierony-
mo *in Epist. ad Pammachium & Ocean.* Arius
ab Athanasio *Serm. 2. contra Arian.* Athei
dicti sunt. Sunt enim SS. Patres consti-
tuti in Ecclesia *Doctores ad Eph. 4.* ut fi-
dem explicent, confirment, quem in fi-
nem

nem datus est illis *Sermo Sapientia & sermo scientia in uno Spiritu.* 1. Cor. 12. ut sint *scribae docti in regno caelorum.* Matth. 13. Sunt Episcopi Ecclesiarum, atque ut inquit S. Augustinus contra Julianum l. 2. *Docti, graves, sancti, in quibus invenire non potes, quod spernas.* Talibus Ecclesia Plantatoribus, Rigatoribus, Aedificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus credit. Sunt Testes integerrimi orthodoxae fidei & sanctarum consuetudinum: *Quod enim invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt,* inquit idem Augustinus l. 6. Sanctorum Patrum fide & auctoritate nixa sunt Concilia generalia dum Decreta sua sanxerunt. In Concilio Nicæno I. *Episcopi* (ait Athanasius in Epist. ad Afros) *non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt.* In Concilio Ephesino generali III. sic loquuntur Patres: *In tali sensu SS. Patres fuisse comperimus, ideoque in Epistola ad Nestorium fidei definitionem hac forma conscribunt: Sequentes itaque*

itaque

itaque SS. Patrum confessiones, & intentioni eorum æquis vestigiis insistentes profiteamur &c. In Synodo Chalced. Generali IV. Act. 4. *Sequentes igitur SS. Patres docemus & Act. 5.* acclamant: *Hæc est fides Patrum.* In Conc. Generali VI. Act. 4. & 10. contra Macarium hæreticum ex SS. Patrum testimoniis definitur. In generali VII. Nicæno II. Act. 2. ex iisdem per Adrianum Papam in literis ad Synodum Iconomachi convincuntur. Demum in Concilio Florentino tota concertatio inter Latinos & Græcos ex SS. PP. Sententiis definita & composita est. Atque ita in cæteris omnibus Conciliis Episcopi Sanctorum Patrum vestigiis in rebus definiendis institerunt.

2. Magna itaque semper fuit SS. PP. eorumque testimoniorum auctoritas in Ecclesia. Distinguenda vero est auctoritas interpretandi Scripturas & explanandi abstrusas ac sublimiores Theologiæ difficultates ab auctoritate condendi leges, quibus subditi obligari possint. Auctoritatem interpretandi, quæ profuit ex dono Sapientiæ & scientiæ, habent SS. Patres; Sed est ea duplex: Alia probabilis solum, alia certa & firma. Probabilis, cum disputant de iis in scientia

tia

tia Theologica, de quibus salva fide in
 utramlibet partem disceptari potest, in
 his enim *salva fidei compage doctissimi*
& optimi Regulae Catholicae Defensores
interdum dissentiunt, inquit S. Augu-
 stinus l. 1. contra Julian. Et de peccato orig.
 l. 2. c. 23. postquam enumerasset quæ-
 dam scientiæ Theologicæ problemata.
Quis, inquit, non sentiat in his atque
hujusmodi questionibus, sive ad obscu-
rissima Opera DEI, sive ad Scriptura-
rum abditissimas latebras pertinenti-
bus, & multa ignorari salva Christiana
fide, & alicubi errari sine aliquo here-
tici dogmatis crimine? Atque in his
 idem S. Doctor liberos librorum suo-
 rum lectores & correctores admittit,
 cum in Prooemio lib. 3. de Trinit. *In omni-*
bus literis meis non solum pium Lecto-
rem, sed etiam liberum correctorem
desidero. Ubi ergo in similibus dissenti-
 unt Patres & Doctores, tunc ea tenen-
 da est opinio, quæ præstantioribus niti-
 tur fundamentis. l. 2. §. *Si quis C. de vet.*
jur. enucl. c. Capellanus de Feri. Probabilem
 quoque auctoritatem solummodo ha-
 bent testimonia unius vel alterius Patris
 aut Doctoris in eo, de quo cæteri Patres
 tacue-

tacue-

tacuerunt (nam si quis Doctor se omnium aut plurimorum Patrum testimoniis opponeret, audiendus omnino non esset) neque ex iis firmum argumentum desumi potest, nisi ratione materiae substratae, de qua tractant, ut dicitur. Nam Patres ut privatae sunt personae fallere & falli possunt, ideoque quod à Doctore aliquo etiam magnae auctoritatis docetur, examinandum est, an conforme sit juri prout Lex vel Canones disposuerunt, *l. 12. Ancillae. C. de Fer. & Serv. corrupt.*

3. Porro certam & firmam faciunt auctoritatem testimonia SS. PP. in materia, quae fidem Catholicam, & notissimas Christianae Religionis regulas concernit, in eaque omnium vel plurium unanimis consensus concurrit. Id vero non tantum est propter nudam Patrum auctoritatem secundum se sumptam, quia ipsi dixerunt, hæc enim, ut diximus, fallibilis est, sed potissimum quia eorum consensus Apostolicam traditionem scriptorumque Canonorum declarationem manifestat. Quare cum sexta Synodus generalis *Can. 19. Lateranense sub Leone X. art. 1. & Tridentinum Sess. 4.* prohibent, ne quis contra communem SS. PP. interpretationem sacras literas exponat, non volunt, quod eorum auctoritas

toritas omnino certa sit & infallibilis, eorumque expositiones de fide observandæ sint, sed ut occurrerent hæresibus ex prava sacræ Scripturæ interpretatione pullulantibus, ideoque permissum adhuc est Interpretibus sacræ Scripturæ novos sensus inquirere, & Patrum sententias expendere, dummodo communem illorum sententiam non rejiciant; Quod si quis id attentaret, temerarius foret præponendo suum judicium communi SS. PP. Sententiæ, & peccaret mortaliter præceptis Ecclesiæ in re tam gravi non obediendo *Canus 7. de locis. c. 3. Concl. 5. Valente.*

4. Quod ad auctoritatem SS. PP. attinget condendi leges, eam illi non habent; Nam in legibus condendis & negotiis definiendis, quibus se omnes conformare tenentur non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas. *dist. 20. §. sed aliud.* Hinc Christus dedit Petro non tantum scientiam discernendi inter lepram & lepram, sed etiam potestatem ligandi & solvendi. *Matt. 16.* Quare SS. Patres non fuerunt Canonici Scriptores, nec eorum sententiæ legem constituunt. Illæ tamen, quæ in Corpus Juris vel in Constitutionem aliquam Pontificiam relatae sunt, canonizatae sunt auctoritate
Papæ,

Papæ, & vim legis obtinent. Allegari tamen possunt & cæteræ Sententiæ SS. PP. ob auctoritatem, quam habent apud fideles, ut diximus ad probandas & decidendas causas in rebus, de quibus jus non disposuit, sicque post Constitutiones Pontificum & Decreta Conciliorum juxta Canisium in causis decidendis auctoritatem afferre possunt.

C A P U T XXI.

De Placitis Principum sæcularium.

An & quæ vim habeant obligandi personas Ecclesiasticas.

STatuimus Cap. 12. quintum Juris Canonici fontem esse Placita Imperatorum & Principum sæcularium, quia quamplurimæ leges & statuta illorum Principum inserta sunt Juri Decretalium, & Constitutionibus Summorum Pontificum, ex quibus Jus Canonicum confectum est. Quamvis vero placita & statuta sæcularium, etiam quæ honesta sunt & utilia, nec libertati Ecclesiæ inimica, priusquam à S. Pontifice & Ecclesia approbata sint nullam vim habeant ex se obligandi personas Ecclesiasticas,
nec